

## DE PARMENIDIS FRAGMENTO B 1, 3 DK

Lectio versuum 1–4 secundum H. Mutschmannum<sup>1</sup> ab omnibus fere prioris saeculi editoribus et commentatoribus talis adhibetur:<sup>2</sup>

ἴπποι ταί με φέρουσιν, ὅσον τ' ἐπὶ θυμὸς ἰκάνοι,  
πέμπον, ἐπεί μ' ἔς ὁδὸν βῆσαν πολύφημον ἄγουσαι  
δαιμονος, ἡ κατὰ πάντ' ἀστη φέρει εἰδότα φῶτα·  
τῇ φερόμην· τῇ γάρ με πολύφραστοι φέρον ἕπποι...

---

3 πάντατη L πάντ' ἀτη N πάντα τῇ E<sup>3</sup>

Quod Sexti MSS in versu 3 post verba κατὰ πάντ' habent, ex archetypi quadam corruptela extare patet multisque emendationem tentantibus nihil etiamnunc est, ut sententiam habeas verae similem et Parmenide dignam.<sup>4</sup> Αστη accepit H. Diels magna cum admiratione.<sup>4</sup> Credidit enim codicem N habuisse ἀστη, postquam Mutschmannus hanc quasi genuinam codicis lectionem ei comunicavit. Verum enim peccavisse Mutschmannum, quia fortasse πολύφραστοι in versu sequenti ante oculos habuisset, optime demonstravit A. Coxon.<sup>5</sup>

Parum licet ἀστη etiam ex conjectura accipere.<sup>6</sup> Revocant interdum viri docti imaginem philosophi vel prophetae, qui per urbes vagatur doctrina-

---

<sup>1</sup> Sext. *Adv. math.* (*Πρὸς λογικούς*) VII, 111 (Sexti Empirici *Opera*. Rec. H. Mutschmann. II [Lipsiae 1914] 26).

<sup>2</sup> Eandem etiam apud recentissimos invenies: Parmenides. *Die Fragmente*. Griechisch-deutsch. Hrsg., übers. und erläutert von E. Heitsch (Darmstadt 1995) 8; H.-Chr. Günther, *Aletheia und Doxa. Das Proömium des Gedichts des Parmenides* (Berlin 1998) 13–14.

<sup>3</sup> N: Laur. 85, 19 saec. XIII vel XIV. Cf. A. Kochalsky, *De Sexti Empirici adversus logicos libris quaestiones criticae* (Marburg 1911) 9–104; Mutschmann, *op. cit.*, VI–X. L: Laur. 85, 11, E: Paris. 1964, uterque saec. XV – “coaetanei et in libris adversus mathematicos dogmaticosque quasi fratres germani” (Mutschmann, *ibid.*, X), qui tamen nostro loco paulum discrepant; Σ: consensus codicum recentiorum A B V R. Stemma vide in editionis Mutschmannianae pagina V.

<sup>4</sup> Die Fragmente der Vorsokratiker. Hrsg. von H. Diels (Berlin 1912). Idem in posterioribus editionibus etiamque in postumis. quas correxit W. Kranz: *Die Fragmente der Vorsokratiker*. Hrsg. von H. Diels. 6. verbesserte Aufl. von W. Kranz. I (Berlin 1951) 228. quod opus per DK designare licet.

<sup>5</sup> A. H. Coxon, “The reading of Parmenides 1, 3”, *CR* 18 (1968) 75.

<sup>6</sup> R. Renehan, “[Rec.]: The Fragments of Parmenides by A. H. Coxon”, *Ancient Philosophy* 12 (1992) 2, 402: “If scholars had never been told, that ἀστη is a manuscript variant, there is little doubt, that someone would have long since proposed it independently by conjecture”. Quod mihi dubium videtur, praesertim cum sciam inter plus quam viginti con-

namque suam perdocet.<sup>7</sup> Perperam quidem. Nam in 1, 27 de eadem via legimus: ἀπ' ἀνθρώπων ἐκτὸς πάτου ἔστιν. Visne fortasse cum DK et W. Guthrie κατὰ πάντ' ἄστη “supra omnes urbes” interpretari?<sup>8</sup> Sed etiamsi δαίμονι, cuius viam sapiens ingreditur, Sol est,<sup>9</sup> dubito, num praepositio κατά pro “supra” usurpetur. Eandem prope vim habet atque “per” (ex. gr. Plat. *Tim.* 70 B 1: κατὰ πάντα τὰ μέλη).<sup>10</sup> Κατὰ πάντ' ἄστη φέρει – “per omnes fert urbes” – quae via “procul a tramite humano” vix iacere potest. Sed licet et hoc cedamus. Quomodo dein explices Parmenidem formam Atticam contractam imposuisse, cum ubique usus sit Homericis? Confer praeter εὐπείθεος (1, 29), παναπεύθεα (2, 6), ἐπιδεές (8, 33), εὐαγέος (9, 2) etiam πυλέων (1, 17), αὐτέων (1, 20) aliaque multa. Ceterum in 8, 39 ἀληθῆ legitur.<sup>11</sup> Quo tamen loco, cum nova eademque haud facilis materies enodanda esset, oblitum esse opinor Parmenidem sui exempli epicis. Nequivit poeta aliter cogitata eloqui, quia in carminibus epicis ἀληθέα non nisi pro substantivo usurpat. Mos philosophorum est, ut in acriore meditatione contra stylum peccent.<sup>12</sup> Quod in solemni carminis initio Parmenidem facere nego. Apud Homerum ipse scis, quibus locis ἄστεα invenias.<sup>13</sup> Etiam alicuius momenti esse puto apud Empedoclem (*B* 112, 7) ἄστεα legi. Itaque abnuenda mihi videtur lectio ἄστη.

---

iecturas. quas viri ingeniosissimi ac Graecae linguae scientia eminentissimi fecerunt. hanc abesse. Nihil vero lectio ἄστη alliis melior est sensumque reddit dubium.

<sup>7</sup> J. Burnet. *Early Greek Philosophy* (London '1930) 172 n. 1; Parmenide. *Testimonianze e frammenti*. Intr., trad. e comm. a cura di M. Untersteiner (Firenze '1979) LII; H. Fränkel. “Parmenidesstudien”, in *Wege und Formen frühgriechischen Denkens* (München 1955) 156 Anm. 2; K. Riezler. *Parmenides* (Frankfurt a. M. 1934) 26.

<sup>8</sup> DK: “über... hin, wie Hom. *T* 93”; W. K. C. Guthrie, *A History of Greek Philosophy* II (Cambridge 1965) 7.

<sup>9</sup> Orphicorum frgm. 47, 3 (Kern) ipse Guthrie concedit nimium esse incertum. ut argumento sit. Nam διὰ πάντ' ἄστη e conjectura dubia exstat: H. Diels, “Ein orphischer Demeterhymnus”, in *Festschrift Th. Gomperz* (Wien 1902) 12, 15. Quam incerta sit tabula, ipse, lector, percipias. si impressionem photographicam ab O. Kern editam aspicias: *Orphicorum Fragmenta*. Collegit O. Kern (Berolini 1922) 117, linea 2.

<sup>10</sup> Non aliter et *T* 93 pace Guthrie et DK: (“Ἄτῃ) κατ' ἀνδρῶν κράστα βαίνει. Numquam re vera in solum Error degreditur, cui plane sufficiat tangere capita. Certe in 4 276 nubes supra mare vadere dicitur. Hic tamen habemus sing. – κατὰ πόντον: horridum nimum mare paene tangentem volare videmus.

<sup>11</sup> Unam hanc exceptionem indicavit R. Renéhan (*op. cit.*, 402).

<sup>12</sup> Cf. ἀδαῆ (8, 59), quae est forma rarissima et non epica etiamque in Simplicii MSS ita incerte testificata. ui exemplo esse haud possit.

<sup>13</sup> Docent hoc scripta Renati Descartes, qui Latinitati ceteroquin optimae verba et figuræ admiscerunt vulgares et prope Francogallicas. ut philosophiae suae fundamenta exponeret.

<sup>14</sup> Vide *M* 433 ἀληθῆς in fine versus. Ita et apud Parmenidem bis versus claudit ἀληθῆς (8, 17 et 28), semel – ἀληθῆ. Confer hos quatuor versus et intelleges Parmenidem ab usu Homericō non abhorre.

Lectionem ἄντην, quod Chr. G. Heyne a. D. 1796 coniecerat,<sup>15</sup> nuper probavit Coxon: dicit scilicet philosophum numinis via “per omnia *protinus*”.<sup>16</sup> Quo in sensu adverbium ἄντην numquam usurpatur. Vox haec Homericus significat aut “contra aliquem”, “adversus aliquem”, “coram aliquo” (ἔρχεσθαι Θ399, ἵστασθαι Α 590, στήσομαι Σ307, εἴρεαι Ο247, νέεσθαι Χ109, νείκεσε Κ158, θ158, πειρηθήμεναι θ213, λοέσσομαι ζ221) aut “in aliquem” (εἰσιδέειν Τ15, ἐσέδρακον Ω223, ἴδοῦσα ε 77, βαλλομένων Μ152, ἀγαπάζεμεν Ω464) aut “cum aliquo”, “alicui” (όμοιωθήμεναι Α187, γ120, ἐναλίγκιος β5, δ310, ω371, εἰκέλη χ240). False interpretatur Coxon Θ399: ἄντην ἔρχεσθαι – “porro ire”, “pergere” (quod puto de *LSJ* depropmsit).<sup>17</sup> Vide versus, quos statim recte percipias:

βάσκ’ ἵθι, Ὕπει ταχεῖα, πάλιν τρέπε μηδ’ ἔα ἄντην  
ἔρχεσθ’· οὐ γὰρ καλὰ συνοισόμεθα πτολεμόνδε.

Quo loco Irin alloquens dissuadet Iuppiter coniugi et filiae “contra se ire”, i. e. – suae voluntati reluctari. Itemque scholia: μηδὲ ἔα εἰς τὸ ἐναντίον τῆς ἐμῆς κελεύσεως ἔρχεσθαι αὐτάς. Interpretē Vossio:

Eile mir, hurtige Iris, und bring sie zurück, daß sie ja nicht  
Mir im Kampfe begegnen, denn unsanft möcht' ich sie treffen.<sup>18</sup>

Adverbium ἄντην cum persona coniungi solet, quae nonnumquam per ellipsis detrahitur. Locutio autem κατὰ πάντα ἄντην φέρει quid sibi velit, incertum est.<sup>19</sup>

Argute divinavit Wilamowitz κατὰ πάντα <τα>τή.<sup>20</sup> Quae in apparatu critico saepe laudantur, refutantur tamen a viris doctis ea ratione, quod τατός tantum ab Aristotele in *HA* 519 a 32 semel adhibetur:<sup>21</sup> ὅμοιος δ'

<sup>15</sup> Chr. G. Heyne, “[Rec.]: Fragmente des Parmenides. Ed. G. G. Fülleborn”. *GGI* 1 (1796) 23.

<sup>16</sup> *The Fragments of Parmenides*. A critical text with introduction, translation, the ancient *testimonia* and a commentary by A. H. Coxon (Assen 1986) 45, 158.

<sup>17</sup> Ex F. Passovii lexicis ortus est error, ubi s. v. ἄντην invenias: “in gerader Richtung”.

<sup>18</sup> Homer. *Iliad*. Griechisch-Deutsch. Hrsg. von Eduard Schwarz, Übersetzung: Johann Heinrich Voss, Bearbeitung: Hans Rupé. Neuauflage und Nachwort: Bruno Snell (Augsburg 1994) 137.

<sup>19</sup> Vide Renehan (supra adn. 6) 401. Heyne, qui praepositionem recte applicare voluit, ita versum corrupit: ἄντην φέρει ἔσβατα (vel ἔμβατα) φῶτα. Nempe hoc sensu caret, sed puto Heynium voluisse: “ad se aggredientem”. Attamen Coxon rationem Heynii non est assecutus. Renehan autem professorem illum Gottingensem clarissimum omnino non commemorat.

<sup>20</sup> U. von Wilamowitz-Moellendorff, “Lesefrüchte”, *Hermes* 34 (1899) 204, ubi Ψ 758 (τέτατο δρόμος) cum Parmenidis loco comparatur. Contra: W. J. Verdenius, *Parmenides. Some Comments on his Poem* (Groningen 1942) 66.

<sup>21</sup> G. S. Kirk, J. E. Raven. *The Presocratic Philosophers* (Cambridge 1969) 267–268. In editione altera (Cambridge 1983), quam curavit M. Schofield, nulla eius lectionis mentio facta est.

ἐστὶν ὁ ύμην δέρματι πυκνῷ καὶ λεπτῷ, ἔστι δὲ τὸ γένος ἔτερον· οὕτε γάρ ἐστι σχιστὸν οὔτε τατόν. Sed Homeri scholia (ad *B* 43: νηγάτεον... ὥσπερ παρὰ τὸ τείνω τατός, cf. ad *Z* 185) Graecos ea voce admodum saepe usos esse docent. Ceterum scholion hoc nihil valet contra argumentum: ab usu poetico vocabulum abhorrire. Confer nunc cum Aristotele etiam Soph. *Oed. Tyr.* 733–734:

ΙΟ. Φωκὶς μὲν ἡ γῆ κλήζεται, σχιστὴ δ' ὁδὸς  
ἐξ ταύτη Δελφῶν κὰπὸ Δαυλίας ἄγει.

Cum via a Sophocle, sicut ab Aristotele membrana, *σχιστή* (de verbo *σχίζω*, similiter ac de *τείνω* – *τατός*), “duplex”, dicitur, nihil obstat, quominus apud Parmenidem *τατή*, “simplex” scilicet et “perpetua”,<sup>22</sup> dici possit. Non est Homericum neque omnino epicum et archaicum *τατός*, cum totum Parmenidis carmen colore Homericō quasi suffusum est? At Parmenidis lectori non est opus ubique Homeri vestigia indagare. Difficilius diiudicari potest, aptumne *τατή* sensum hic praebeat. Nec satis percipio, quare viam suam indivisam poeta designaverit. Qua de via paulo fusiū disserere oportet.

Haec via in versu 2 per epitheton *πολύφημος* definitur et in versu 3 δαίμονος esse affirmatur (de *gen. poss.* vide adn. 29). *Πολύφημος* in γ 376 ἀοιδός dicitur, cuius nomen ipsum – Φήμιος – quasi de verbo dicendi ducum esse videtur. Est quoque in *Odyssaea* *πολύφημος ἀγορή* (β 150). Per multi enim in contionem ascendere multaque graviora loqui solent. Vocabulum illud simili Latino composito “multiloquus” reddere possis, non tamen ut significet vaniloquum, sed plane ut eloquentia praeditum et facundum. Etiam per ironiam dicitur in *Batr.* 12: *λιμνόχαρις πολύφημος*.<sup>23</sup> Quam vocem sensu passivo tunc modo invenias, cum usus archaicus et principalis diutissime iam evanuerat.<sup>24</sup> Demonstrant hoc in Pindarum scholia, ubi *πολύφημον* idem atque *πολύφατον* esse affirmatur.<sup>25</sup> Et revera haud raro apud

<sup>22</sup> Sensu translato. Ipse Wilamowitz ita vertit: “via per omnia patens” (“über das All hin ausgespannt”) – hoc ei suadet *τείνω*. Quod satis durum (ne dicam contortum) est et modo mirari licet alios eum secutos esse: H. Ritter – L. Preller – E. Wellmann, *Historia philosophiae Graecae* (Gothae '1913) § 113; R. Eisler, *Weltmantel und Himmelszelt* (München 1910) 338.

<sup>23</sup> Quod per Rossicum “болтливый” (multiloquus, garrulus) reddit M. Altman: *Batrachomyomachia*. Перевод М. С. Альтмана (М. – Л. 1936) 3.

<sup>24</sup> Hunc tamen tenet Philo, qui in *De ebr.* 92 (I, 371) dicit: *πολύφημος καὶ πολύώνυμος σοφός* de eo viro sapiente, qui permultarum rerum scientiam possidet. False Philonis vocabulo sensum passivum ascripsit *L.S.J.* Recte tamen in *Philo with an English translation*. III. By F. H. Colson and G. H. Whitaker (Cambridge, Mass. 1988 = 1930) 365: “many-voiced and many-named”.

<sup>25</sup> *Scholia vetera in Pindari carmina*. Ed. A. B. Drachmann. I (Lipsiae 1903) 22.

Pindarum πολύφατος aequa vi ac πολύφημος habetur – *Nem.* 7, 81: πολύφατον θρόον ὑμνων, *Isthm.* 8, 58: θρῆνόν τε πολύφαμον. Non aliter et loco laudatissimo, *Ol.* 1, 12: ὁ πολύφατος ὕμνος. Respice tamen *Pyth.* 11, 47:

... Ὄλυμπίᾳ τ' ἀγώνων πολυφάτων  
ἔσχον θοὰν ἀκτῖνα σὺν ἵπποις...

Non plane eadem esse videntur: vox πολύφημος de nomine, πολύφατος de verbo derivata est, quo fieri suspicor, ut illa nonnisi activo, haec duplice sit usu et usurpetur, quamvis semel, a Pindaro passivo sensu: certamina, quae in omnium ore sunt, itaque “clarissima”. Apud Parmenidem autem (pace Diels et Guthrie<sup>26</sup>) adiectivum πολύφημος activum est.<sup>27</sup> Quid tamen sentis de via, quae quasi ipsa multa loquitur? Pindarus enim cum celebrare vult laudes Olympicas vel Achilli sortem Musas plorare iubet, hoc solum contendit: res tantas ampliore sermone esse dignas. Sunt, qui credant Parmenidem vitam Pythagoream depinxisse, quae per multas disputationes ad veritatem perducat.<sup>28</sup> Dura quidem translatio, sed quae fieri potest. At quis tibi, lector doctissime, nunc videtur ille δαίμων? An ipse Pythagoras? An daemon quidam Pythagoreorum, quem ignoramus? Sol esse pronuntiatur.<sup>29</sup> Quod si ita est, cur via eius πολύφημος? Idemque queram, si simpliciter “deum” esse asseveretur, sicut in Homero haud raro: δαίμων τις, Θεός τις. Credo cum Tarán et Coxon eandem Deam veritatis matrem, ad quam eatur, in versu 3 apparere.<sup>30</sup> Verumtamen nego hanc eandem deam esse atque δίκην πολύποιον, quae κλητίδας ἀμοιβούς habet (v. 14), et

<sup>26</sup> DK: “auf den Weg, den vielberühmten”: vide Guthrie (v. adn. 8) 7: “either sense would be possible...”. Contra quidem Fränkel (*Wege und Formen* 159 Anm. 4) arguit πολύφημον in Graecis litteris nonnisi activum esse. Sed apud recentioris aevi auctores Graecos, qui, sicut Pindari scholiastes, usus archaici sunt obliiti, πολύφημον passivum esse potest. Respice Phot. *Bibl.* 331 a 21 de Domitiani morte: ἄδηλον καὶ πολύφημον et ipsum vocabulum πολύφημία. Quod ignorat L. Tarán: *Parmenides. A Text with Translation. Commentary and Critical Essays* by L. Tarán (Princeton 1965) 10: “πολύφημος never means ‘famous’ in ancient Greek literature”.

<sup>27</sup> Philosophus noster verba despicit eisque veritatem opponit. Quae res autem opinionem communem iam et integrum – πολύφημον activum esse – abrogare haud potest. Nam etsi esset passivum (via, “de qua multum loquitur”), fama, quae a philosopho damnatur, a poeta nihilominus approbaretur.

<sup>28</sup> Coxon, *The fragments.* 157–158: Cf. etiam W. Jaeger, *Paideia I* (Berlin 1936) 239–240.

<sup>29</sup> F. M. Cornford, *The Origins of Greek Philosophical Thought* (Cambridge 1952) 118, not. 1; Guthrie, (v. adn. 8) 7. Similiter Sextus *Adv. math.* VII, 112.

<sup>30</sup> Tarán, qui formam δαίμονος recte gen. poss. esse explicat (cf. Pind. *Ol.* 2, 70) et conjecturam Steinii – δαίμονες (vide infra) – abnuit, ita deinde ratiocinatur: “...there is no reason to reject the reading of MSS. If this is so, the δαίμων is the same as the goddess of line 22” (*Parmenides*, 11). Idem apud Coxon (*The Fragments.* 157): “δαίμων is understood

quam allocutae sunt κόραι (v. 15).<sup>31</sup> Iustitia portam aperit et sapientem intrummittit. Ingressum tamen alia dea benigne exceptit: καὶ με θεά πρόφρων ὑπεδέξατο... (v. 23).

Talis mea opinione in initio δαίμων profertur, quam lector et philosophi discipulus bene neverint. Similiter puto Parmenidem poema inchoare velle ac Homerum aut Hesiodum aut alios epicos, sed paulo obscurioribus verbis, quo certius id faciat, quod et ipse planissime sentit: carmen se scribere philosophicum generis novi et adhuc inusitati.<sup>32</sup> Iam antiqui obiurgaverunt eum de forma poetica: melius fuisse, si maluisset prosam.<sup>33</sup> Et certe epicae poesi tributa pendit.<sup>34</sup> In primis Parmenidis versibus *Musae*, quae Homericæ similis est, mentionem factam esse censeo.<sup>35</sup> “Multiquo” numinis via multiloquentis numinis esse intellegitur.<sup>36</sup> Pieride autem nihil est eloquentius. Idcirco et equae Parmenideae sunt πολύφραστοι (v. 4) et currus axis sonum tibiae edit (v. 6). Omnia, quae ad Musam pertinent, sapientissima habentur<sup>37</sup> suavissimeque sonant. Talis et via eius,

stood as masculine in Sextus' paraphrase and is symbolising λόγος, but it is impossible to argue, that it refers to the θεά of 1, 22". Praeterea δαίμονος pro gen. obiect. ("via ad Deam") usurpatum esse dubito. Aliter Diels: *Parmenides' Lehrgedicht*. Griechisch und Deutsch von H. Diels (Berlin 1897) 46. Opinionem Diels assecutus est C. Lan argumentis levissimis: ‘φήμη’ simile esse atque ‘σῆμα’: C. E. Lan, “Die ödöös πολύφρημος der parmenideischen Wahrheit”. *Hermes* 88 (1960) 376–379. Homerus (ex. gr. Γ 406) deorum vias dicere solet eas, quas di ipsi persequuntur. Sed apud Pindarum (*Ol.* 2, 77) Διὸς ὁδός talis designatur, quam Iuppiter *indicavit*.

<sup>31</sup> De dea Parmenidea non sine sale scripsit Giovanni P. Caratelli: “La θεά di Parmenide”, *Parola del Passato* 43 (1988) 337–346. Qui postquam negavit Iustitiam, subito Mnemosynam hanc esse proposuit. Quod si verum esset, nimium fuissest difficile ad comprehendendum. Scripsit Parmenides admodum obscure, voluit etiam fortassis sibi caliginem metaphysicam induere, sed non tam densam, ut vixdum inito carmine imaginibus tam incertis alluderet.

<sup>32</sup> Dea Parmenidea, sicut numina Homericæ, sub umbra latet et se propalam non ostendit. Recte hoc sentit E. D. Floyd: “Why Parmenides wrote in verse”. *Ancient Philosophy* 12 (1992): 2, 255 sq.

<sup>33</sup> Plut. *De audiendo* 13 (45 B) μέμψατο δ' ἄν τις... Παρμενίδου δὲ τὴν στιχοποιίαν.

<sup>34</sup> B. A. van Groningen, *La composition littéraire archaïque grecque. Procédés et réalisations* (Amsterdam 1958) 226–227.

<sup>35</sup> Sicut apud Homerum, Hesiodum et in Hymnis Homericis (*Herm.*, *Aphr.*, *Art.*, *Diosk.* etiamque in recentioribus – *Pan.*, *Hephaist.*, *Hel.*, *Selen.*). Ita et poetæ cyclici, quoad novimus: *Thebais* 1; idem per ludibrium *Batr.* 1.

<sup>36</sup> Cf. Pind. *Nem.* 7, 81: πολύφρατον θρόον ὕμνων. In hymnos spectat epitheton, quod cum sonitu eorum Pindari ars ingeniose coniungit. Nostro tamen loco *enallagen* suspicari cave: verborum enim ordo quodam modo prohibet.

<sup>37</sup> De adiectivo πολύφραστος recte censemus, si locutiones λόγον φράζειν. ἔπος φράζειν, quae iam apud Aeschylum et Pindarum inveniuntur, vocabulaque πολυφράδής, πολυφράδμων et similia in memoriam revocaverimus. Sapientes οὐ λαλοῦσιν, ἀλλὰ φράζουσιν.

quae de multis quasi loquatur rebus, quia omnia ( $\piάντα$ ) Musae ope describuntur. Musa Parmenidea, quae philosophiae gratia δαιμόνιον vocatur (cf.: Μῆνιν ἀειδε θεά...) – divinus enim afflatus est – revelationis atque cognitionis tenet viam.

Revertamur ad versum 3, qui nunc per istud τοτή minime illustrari videtur. Nullam rationem invenio, cur simplex (vel potius indiscreta) sapientem per omnia ducat via, quae Musae attribuatur. Praeterea parum extitisse credo vetustiorum codicum corruptelam talem, quam videmus, nisi id, quod sequitur, in initio vocalem ( $\alpha?$ ) habuisset.

His tot adduntur conjecturae, quot fortasse Iliadis primi versus, si corrupti essent traditi, suscitare potuissent: σαφῆ (Brandis<sup>38</sup>), ἀιδῆ (Fülleborn<sup>39</sup>), ἀδαῆ (Karsten<sup>40</sup>), κατὰ πάντα μάθη, κατὰ πᾶν πάντη (Stein<sup>41</sup>), κατὰ πᾶν ὀπάτης (Bergk<sup>42</sup>), κατὰ πάντ’ ἀσινῆ (Meineke, Jaeger<sup>43</sup>), κατὰ πάντα φέρει <πάντ> εἰδότα φῶτα (Patin<sup>44</sup>), ἀτρεκῆ, αἰπή, ἀγὴ (Diels<sup>45</sup>), ἐτεῆ (Usener<sup>46</sup>). Alias quoque eiusdem generis fuisse scimus.<sup>47</sup> Cave tamen putes nos omnia haec enodare et enucleare velle. Laudat Tarán in apparatu et commentariis hoc ἀσινῆ separatim a Meineke

<sup>38</sup> *Commentationum Eleaticorum pars prima, sectio secunda. De Parmenide. Exposita a Chr. Aug. Brandis (Altonac 1813)* 93: “sensu emphatico”.

<sup>39</sup> “Dea, quae ad occulta quaevis mortalem dicit”. Sed ἀιδῆ insolens est vocabulum. Vide observationes criticas apud Karsten: *Parmenidis Eleatae carminis reliquiae. De vita eius et studiis disseruit, fragmenta explicavit, philosophiam illustravit S. Karsten (Amstelodami 1835)* 55.

<sup>40</sup> *Ibid.*, 54–55: quod recepit F. Riaux, *Essai sur Parménide d’ Élée, suivi du Texte et de la Traduction des Fragments* (Paris 1840). De vocabulo ἀδαῆ (8, 59, unde puto id Karsten didicisse) vide adn. 12.

<sup>41</sup> “Equi, quibus vehor, ducebant me quoisque animi impetus ferret: quippe me evexerunt eo, quo serebat animus, in viam divinam, quae *per universum* qualibet fert sapientem virum”. Quibus assentient Diels et Böckh. Vide H. Stein, “Die fragmente des Parmenides περὶ φύσεως”, in *Symbola philologorum Bonnensium in honorem F. Ritschl* (Lipsiae 1863–1867) 669, 772. Lectio δαιμονες a Stein inventa est. a Wilamowitz accepta (v. n. 30), ea quidem ratione, ut ullam condicionem excludat, quin pronomen ή deae adiungi possit. Sed supervacaneum est.

<sup>42</sup> Th. Bergk, “Commentatio de Empedoclis prooemio”, in: *Kleine Schriften II* (Halle 1886) 30: “quae dea per omnes errores et sensuum fallacies virum ita ducit, ut mentis acies non hebescat”.

<sup>43</sup> Vide Jaeger (supra adn. 28) I. 241 Anm. 1: “(der Weg) unversehrt ans Ziel führt”. δαιμονος gen. obi.. πολύφημος pass. – nihil ad verum. Sed mirum in modum sententiae Parmenideae sensum genuinum recte Jaeger vaticinatur: v. ultra, adn. 68.

<sup>44</sup> A. Patin. *Parmenides im Kampfe gegen Heraklit*. Jahrb. für klass. Phil. Suppl. 25 (1899) 648.

<sup>45</sup> Diels, *Lehrgedicht*, 48.

<sup>46</sup> H. Usener, *Kleine Schriften I* (Leipzig 1912) 346.

<sup>47</sup> Diels ibidem affert: τέλη (Weißen).

et Jaeger illatum,<sup>48</sup> cui tamen rationes textologicae obstant. Etiam propter raritatem vox ea vix corrumpi potuit, cum medii aevi librariis sine dubio bene esset nota.<sup>49</sup> De aliis autem satis sit, si hoc unum dicam: ad viam potius quam ad numen pertinent.

Nuper autem proposuit H. Pelliccia nonnihil, quod meliorem sensum reddit, nostro loco inserere.<sup>50</sup> Sagacissime enim coniecit litterarum seriem τατηφε (φῶ-τα | τῆ | φε-ρόμην) se in versum 3 insinuare itaque vetustiorem textum per librarii neglegentiam corrumpi potuisse. Quae corruptio ei adeo vetus esse videtur, ut in archetypum omnium Sexti codicum, quos novimus, penetraverit. Illum codicem vetustissimum continue scriptum esse credit Pelliccia: videlicet eiusmodi corruptelam facile ortam esse.<sup>51</sup> Quod fieri potuisse arbitror, si in linea sequenti *sub* incorrupto speciminis loco fuissent verba φῶτα τῆ φερόμην. Perfacile enim potuisset errare oculus et calamus lassus vicino in loco vicinas inscribens litteras. Sed inter πάντα et φῶτα XV litterae intersunt. Itaque aut in diversis paginae partibus aut saltem in eadem linea haec verba fuerunt. Parum verisimile videtur ita positis verbis tale oriri mendum. Etiamque si revera esset ortum, litterae, quae similitudinem cum τατη habent, potius nostro loco fuissent, quam τὸ ἐόν a Pelliccia propositum. Itaque eo revertimus, ubi pridem fueramus, studioque redintegrato coniecturis multiplicandis se dant critici et duabus adhuc lectionibus nos locupletant: ταύτη (N. L. Cordero,<sup>52</sup> accepta a C. Collobert<sup>53</sup> et a M. Conche<sup>54</sup>) et πάνθ, ἄτ' ἔη, (G. Cerri<sup>55</sup>). Quae excogitata re paleographica pristinis haud meliora, sensu tamen paupercula sunt et nihil novi addunt. Sunt, quibus et desperationis crux ponenda esse videatur.<sup>56</sup>

<sup>48</sup> “Via, quae multa loquitur, numinis per omnia virum dicit integrum. quia sapiens est”: v. adn. 41.

<sup>49</sup> Apud multos autores recentioris aevi hoc verbum inveniri per *TLG* demonstrare licet (Porph. Tyr. *De abst.* IV, 2, 47; Anna Comn. *Alex.* I, 2, 7); bis Constantinus Porph., quater Anna Comnena, undecies hoc verbo Johann. Chrysostomus utitur.

<sup>50</sup> H. Pelliccia, “The text of Parmenides B 1, 3”, *AJPh* 109 (1988) 507–512.

<sup>51</sup> Refutat haec omnia R. Renhan, *op. cit.*, 401–402.

<sup>52</sup> N. L. Cordero, “Le vers 1.3 de Parménide (“La déesse conduit à l’égard de tout”)\”, *Revue philosophique* 2 (1982) 171: “là”. Attamen ineleganter η̄ deae iunxit.

<sup>53</sup> C. Collobert, *L’être de Parménide ou le refus du temps* (Paris 1993) 62.

<sup>54</sup> Parménide. *Le poème*. Fragments par M. Conche (Paris 1996) 39, 42, 44–45: “à celle-ci”, “la voie... conduit... à la Déesse”. η̄ recte attribuit, sed ταύτη dat. final. interpretatur. Quod mihi parum Graecum videtur et praeterea illepidum esset, si via, quae Deae iam erat dedita, ad Deam ducere diceretur.

<sup>55</sup> G. Cerri, “Il v. 1, 3 di Parmenide: la riconoscenza dell’esperienza”, in *MOΥΣΑ: scritti in onore di Giuseppe Morelli* (Bologna 1997) 46: “tutte le cose che siano”.

<sup>56</sup> Cf. *Études sur Parménide*, publiées sous la direction de Pierre Aubenque. 1. *La poème de Parménide*. Texte, traduction, essais critiques par D. O’Brien (Paris 1987) 3, 9–10.

His viris citra veniam prudentibus ego quoque consentirer, nisi reperi-  
retur lectio, quae a Godofredo Hermanno olim erat proleta: αὐτή.<sup>57</sup> Unam  
vir ille doctissimus addidit litteram, optime, ut puto, ratus, quod αὐτὴ ligatura  
corripi solet.<sup>58</sup> Attamen non satis hoc habuit Hermannus, quin etiam totum  
paene versum commutaret: ἦ καὶ πάντ' αὐτὴ φέρει εἰδότα φῶτα. Prono-  
men ἦ ad substantivum δαιμονος spectare voluit, quae dea “eadem quem-  
vis sapientem virum per omnia dicit”. Recepit postea Hermanni emendati-  
onem (αὐτή) etiam Mullachius, servata archetypi lectione (κατά), vertit-  
que sic: “quae ipsa per omnia dicit doctum virum”.<sup>59</sup> Sed credere noluit ulla  
parte in cognitionis via sapientem carere, quod tamen in hac interpretatione  
cernitur.<sup>60</sup> Disputationem de lectione αὐτή in commentariis, quibus Diels  
Parmenidis editionem instruxit, uberiorem invenies.<sup>61</sup> Placuerat etiam illi  
haec lectio priusquam admisit ἄστη. Itaque viae adiunctum pronomen “so-  
lam” explicatur. Exempla autem huius usus ei desunt, quibus interpreta-  
tionem comprobare possit. Nullibi revera hoc sensu usurpatur αὐτός nulla per-  
sona adiuncta.<sup>62</sup> Sic enim vertas: “sua sponte”, “adiuvante nullo” ( $\Theta$  99,  $\Phi$   
466,  $\sigma$  311 etc.). Quapropter Hermannum pronomen αὐτή numini iunxisse  
proto. Verum tamen Diels aliquae recentiores interpres, ut videbamus, prono-  
men ἦ voci ὁδὸν addixerunt.<sup>63</sup> Et recte quidem, quia verbum φέρει nonnisi  
metaphorice intellegendum est.<sup>64</sup>

Duae scilicet interpretationes per se spectabiles sunt, quarum unam eli-  
gere oportet: deae via – aut “sola”, “adiuvante nullo” (vel “ipsa”, quod nihil  
differt), aut “eadem”, “sui similis” – per omnes res sapientem virum dicit.  
Hermannii coniectura eo quidem probabilior est, quod locutio αὐτὴ ὁδός –  
“eadem via” – apud epicos inveniatur:  $\theta$  107 ἥρχε δὲ τῷ αὐτὴν ὁδὸν ἦν

<sup>57</sup> Vide in Diels, *Lehrgedicht*, 48.

<sup>58</sup> E. M. Thompson, *An Introduction to Greek and Latin Palaeography* (Oxford 1912) 82.  
Eiusmodi ligature in codice N continentur (ut docet imago photographica). potuerunt et in  
archetypo eius codicis esse. Nota praeterea M. Conche eandem litteram ( $\nu$ ) conieccisse.

<sup>59</sup> *Fragmenta Philosophorum Graecorum*. Coll., rec., vert. Fr. Gr. Aug. Mullachius. I (Par-  
risiis 1883) 114. Haud enim aliter legit Sextus, qui sic interpretatus est: ἐπὶ τῇ ἀπάντων  
ὅδηγει γνῶσιν (vide Mutschmanni [v. adn. 1] p. 27 et Mullachii p. 115).

<sup>60</sup> Mullachius, *op. cit.*, 114: “εἰδότα φῶτα nominat virum, qui *quamvis supra vulgum  
sapiat*, tamen nondum perfecta eruditione repletus sit”. V. *LfE* I (Göttingen 1979) s. v. αὐτός  
(C. Sperlich – E.-M. Voigt) 1613: “der und niemand anders”, 1644: “...die Mit- und Einwir-  
kung anderer ausgeschlossen wird.”

<sup>61</sup> Diels, *Lehrgedicht*, 47–49.

<sup>62</sup> *LfE* I, 1645–1646.

<sup>63</sup> Alter C. Bowra, “The Proem of Parmenides”, *CPh* 32 (1937) 107–108 et Untersteiner  
(*Testimonianze e Frammenti*, LII–LIII).

<sup>64</sup> Verbum φέρει, persona deae adiuncta, sensum habere ambiguum ostendit Diels (*Lehr-  
gedicht*, 48). Bowra autem (*op. cit.*, 107) credere noluit locutionem ὁδός φέρει in *acc. per-  
sonae* transire posse. Sed ei satis esset illud λεωφόροι ὁδοί in memoriam reducere.

περ οἱ ἄλλοι; Arat. 928–929 αὐτὴν ὁδὸν ἐρχομένοι πνεύματος; Apoll. Rh. I, 199–201: καὶ μήν οἱ μήτρως αὐτὴν ὁδόν... Ἰφικλος ἐφωμάρτησε κιόντι. Idemque cum articulo: Z 391 τὴν αὐτὴν ὁδὸν αὐτὶς ἐϋκτιμένας κατ’ ἀγνιάς.<sup>65</sup> Saepius, ut docent exempla, αὐτὴ ὁδός “*alicui similis et par*”, interdum tamen et “*sui similis*” significatur (sicut ὁ αὐτός), ut in Arati versibus, ubi ventus semper eodem flare dicitur.

Godofredum Hermannum quam optimum pronomini sensum reddidisse affirmo etiamque maiorem ei fidem habemus, quippe qui de Graeco vocabulo αὐτός dissertationem scripserit.<sup>66</sup> Antitheto enim sententia Parmenidis struitur: *per omnia eadem* sapientem virum fert via. Confer Apollonii Rhodii IV, 690: ὅμφω δ’ ἐσπέσθην αὐτὴν ὁδόν (*Medea et Iason uterque eandem viam sequuntur*).

Inspice nunc, lector carissime, verborum ordinem in versu tertio: δαίμονος, ἥ κατὰ πάντ’ αὐτὴ φέρει εἰδότα φῶτα. Nonne tibi illud Homeri in memoriam revocatur: οὐλομένην, ἥ μυρί ‘Ἀχαιοῖς ἄλγε’ ἔθηκε...? Definitio, quae in substantivum spectat, hic atque illic ipso versus initio emphaticē posita est (δαίμονος, οὐλομένην – “*enjambement*”). Hanc sequitur pronomē relativū, quod iterum excipit apud Parmenidem ὁδόν, apud Homerum μῆνιν. Acute notaverunt D. Gallop et R. Renéhan etiam Odysseae versuum initialium in Parmenide similitudinem: πλάγχθ, ἐπεί... (α 1, 2) / πέμπον, ἐπεί...<sup>67</sup> Verumtamen Parmenides errores et peregrinationes Ulixes nusquam descripturus est. Methodum docebit universalem a se inventam. Hoc scilicet existimare licet: indicium eius rei, cui consecratum est carmen, utrumque poetam fecisse. Sicut Homerus iram Pelidae, Parmenides sapientis viam primis statim versibus breviter adumbrat: per eam demum omnia dicit esse cognoscenda.<sup>68</sup> Utrum consulto Parmenides Homerum imitatus sit, an similitudinis huius nullam omnino sibi rationem reddiderit, quis est, qui certe dicat?

<sup>65</sup> Plurimas gratias debo atque ago A. K. Gavrilov, quod Luciani locum mihi indicavit Parmenidi aptissimum (*Hermot.* 25): ὁδός γε μήν οὐ μία καὶ ἡ αὐτὴ φαίνεται, ἀλλὰ πολλαὶ καὶ διάφοροι καὶ οὐδέν ἀλλήλοις ὅμοιατ.

<sup>66</sup> G. Hermann, *Opuscula I* (Lipsiae 1827) 313. Haec Hermanni volumina in bibliotheca privata Alexandri I. f. Zaicev legi. Professori enim quinquagenario a discipulis donata erant, inter quos N. Shebalin, A. Gavrilov, A. Chernjak, N. Kasansky, V. Mazhuga, V. Gutrov, D. Panchenko, A. Khosroyev nominandi sunt.

<sup>67</sup> Parmenides of Elea. *Fragments*. A Text with Introd. and Comm. by D. Gallop (Toronto 1984); Renéhan, *op. cit.* 403–404. Hac praecipue, ut mihi quidem videtur. similitudine nitī lectionem ἄστη (α 3: ἄστεα) viri docti accipiunt, de qua lectione in initio iam satis dixi.

<sup>68</sup> Jaeger, *Paideia*, I, 240–242; H. Pelliccia idem voluit: πᾶν <τὸ ἔσν>, vide notam 49. Ceterum inspice interpretationem Sexti (*Adv. math.* 7, 112, 3–5): ...τὴν πολύφημον ὁδὸν τοῦ δαίμονος πορεύεσθαι τὴν κατὰ τὸν φιλόσοφον λόγον θεωρίαν, δις λόγος προπομποῦ δαίμονος τρόπον ἐπὶ τὴν ἀπάντων ὁδηγεῖ γνῶσιν.

Paleographicis rationibus, Parmenidis usui, poematis contextui omnium optime convenit lectio αὐτή. Ergo Hermanni conjectura accepta, recte applicato vocabulo redditaque ei vi propria ad Parmenidis sententiam genuinam nos ascendere spero: “facunda deae via, quae eadem per omnia fert sapientem virum”.

Michael Pozdnev  
*Universitas Petropolitana*

Историю исследования испорченного места у Parmenida (B 1, 3 DK) трудно считать законченной. Чтение αστη, по ошибке принятое Мучманном за рукописное и допущенное в текст большинством издателей прошлого века, делают неприемлемым и контекстуальные (Parmenid не существует по земным городам; ср. 1, 27), и языковые несоответствия ('негомеровская' форма). Другие предложения критиков, даже если в пользу некоторых из них (например, <τα>τή Виламовица) можно привести дополнительные аргументы, также нельзя признать удовлетворительными. Автор делает попытку еще раз взвесить чтение αὐτή – конъектуру Г. Германна. Фраза строится на антитезе: через все вещи ведет “одна и та же обильная речами дорога богини”. Богиня, к которой направляется философ, обычна для эпоса, хотя черты *философской* Музы умышленно размыты. Путь, указанный ею, есть метод постижения истины, который должен быть применен ко всему постигаемому. Так уже в первых стихах Parmenid кратко формулирует тему своей поэзии, а вместе с тем и главный предмет элейской философии.